

*III. Sententiarum, quorum prior incipit: Creacionem rerum insinuans scriptura &c. Liber 2<sup>us</sup> in quo determinat magister de rerum creacione &c. Alter fol. 122. Cum venit igitur plenitudo temporis. liber 3<sup>us</sup> postquam in precedentibus libris determinauit magister de rebus diuinis et creatis &c. Ad calcem annus 1419. Thecam anticam conuestit Fragmentum Ruth a C. IV. v. 4. 18. posticam Cantici Cant. a C. VI. v. 6. C. VIII. v. 4. hebraice cum punctis luculente in membrana per columnas 2. exaratum. Ita putamen nuce potius.*

## DXXXVIII.

U. 107 Codex chartaceus lat. Sec. XV.

Folior. 355. 4. non una manu, calamo currente perscriptus continet: I. Praelectiones in *Petri Lombardi Librum II. Sententiarum* hoc initio: *Creationem rerum insinuans scriptura. Liber secundus in quo determinat Magister de rerum creacione &c.* In theca anteriore movetur Quaestio, an *Petrus Lombardus* possit dici *Autor*, e qua sequentia lubet eruere: *Sciendum, quod quadruplex est modus faciendi librum. Aliquis enim scribit aliena nihil addendo uel mutando, et iste dicitur Scriptor. Aliquis scribit aliena addendo, sed non de suo, et iste dicitur Compiler. Aliquis dicit aliena et sua, sed aliena tanquam principalia, et sua tanquam annexa ad euidentiam, et iste dicitur Commentator. Aliquis*

*scribit et sua et aliena, sed sua tanquam principalia, aliena tanquam annexa ad confirmacionem, et talis debet dici Autor.* In margine fol. 67. p. 2. legas: *Anno (14)36. feria tertia post blasij dominus bas. (ilienfis) legatus Job. Polemar audiuit presentem (26) distinctionem a me. Vir hic priori Vol. non semel a me adpellatus aderat hoc anno Basilea redux et visitatione Universitatis cum Philiberto Ep. Constant. Nicolao S. Dorotheae Praeposito, et M. Narcisso Herz de Perchingen occupatus, ut tradit Ederi Catal. Reſor. et Conspectus Hist. Univ. ad h. a. Fol. 124. habetur: Anno MCCCC36. feria sexta ante Ramis-palmarum operis huius 2<sup>i</sup> legendo conclusi continentiam.*

II. fol. 134. sequuntur Praelectiones in *Librum III.* cum Nota: *Incepi legere 3<sup>m</sup> sententiarum immediate post octauas pasce Anno 36. et Initio: Cum venit igitur plenitudo temporis. Iste est liber tercius sententiarum in quo postquam in precedentibus libris &c.* Ad calcem primum haec leguntur: *Explicit scribendo pariter et legendo in profesto sancti Nicolai &c.* tum textitur Narratio ingruentis pestis, quae hoc anno ante Festum Assumptionis B. V. vel 70. funera jam uno die abstulit, atque inter Academiae membra deinceps *Petrum Reicher de Pirchenwart* Seniore regentem ducalis Collegii et Theol. Prof. *Cunradum Heribst O. P. Theol. Doct. Urbanum de Mellico*, cujus obitum

tum *Speculum Locheri* perperam igitur a. 1442. adfigit, D. *Stephani* Canonicum et Theol. Doct. *Johannem* denique *Städler de Landshuta* Theol. Baccal. et in Collegio duc. Collegiatum cum multis aliis Viris, ut ait Noster, *moralissimis et virtuosissimis*. Unde Academia vacationes indixit, et Noster ad partes nativas digressus *tredecim integris septimanis et die una* abfuit, *redux feria tertia post elizabeth*, et quanquam in diem *Colomanni* conventum prius fuisset, Lectiones tamen non nisi in *sequenti Katharinae* resumtae sunt. Haec fuse Anonymus noster, quem *Thomam Haselbachium* suspicor. Meminit Pestis hujus *Ederi Catalogus*, non vero *Conspectus Hist. Universit. Vien.*

III. fol. 267. Prolusiones III. videlicet *Praelectionum* in II. III. et I. *Sententiarum* ad eundem Autorem pertinentes, cum idem Thema habeant, nempe illud *Gen. c. II. v. 10. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis* &c. nec dubium ad eundem referendas, cujus sunt *Praelectiones* supra indicatae. Collegas ille suos in exponendis *Sententiis* nominat in Prolusione I. *Perchtoldum Deuchsler de Nurnberg*, *Job. Sträler O. P. Rudolfum Doctorem*, quod mirum, in *Medicina*, et *Job. de Dunkelspubl*; in II. hunc eundem et *Nicolaum de Auhn*; in III. hos eosdem. Meminit horum Virorum *Locheri Speculum*. Prolusionibus adhaerent *Subplementa ad Praelectiones*, quae praecedunt.

IV. fol. 338. p. 2. Acta pertinentia ad Controversiam Mendicantibus motam de Facultate praedicandi et confessiones excipiendi. 1) *Bulla Johannis XXII. data Avinione IX. kal. Aug. anno quinto*, quae incipit: *Vas electionis doctor eximius* &c. Favens Fratribus legitur etiam in *Bullario Ord. Praed. T. II. p. 152*. 2) *Bulla Alexandri V. data Pisis IV. id. Octobr. anno primo*, quae incipit: *Regnans in excelsis triumphans ecclesia* &c. Pariter pro Fratribus legitur *T. cit. p. 501*. 3) *Oblata reformatibus in Constantia per nuncios uniuersitatis Studij Parisiensis*. Non reperi in Actis Concilii, nec in *Bulaei Hist. Univ. aut Gersonis Opp.* Incipiunt: *Quia Christiani patres et insignes Domini alma mater nostra uniuersitas studij parisiensis semper habuit et habet zelum legis et fidei* &c. nitunturque efficere, non esse recipiendam *Alexandri V. Bullam* supra adlatam. Iterata in his *Cancellarii*, id est, *Gersonis* mentio. 4) *Responsio data per fratres mendicantes oblata reformatibus*. Incipit: *Reuerendissimi in christo patres et Domini metuendissimi*, ad petitionem ut fertur factam ex uniuersitate venerabilis studij parisiensis. &c. Negant *Bullam* illam aut subreptitiam, aut extortam fuisse, et offerunt se ad respondendum in publica audientia coram uniuerso sacro concilio generali omnibus, quae contra eam obmovenda essent. Notae chronologicae absunt.

V. fol. 348. Decisio quodlibetica Quaestionis: *Utrum Simoniacus*

cus in ordine sui ordinis officium valeat exercere. Respondetur negative. Ad calcem: *Hec magister Henricus* (cognomen exesum) doctor decretorum in quolibeto artistarum determinavit in (non dubito *Vienna*, sed exesum) Anno Domini Millesimo quadringentesimo nono. Duos *Henricos* circa hoc tempus muniis academicis occupatos invenio Decretorum Doctores: unum *Bernstain*, alterum de *Kützpuhel*.

VI. fol. 352. Habebatur Iudicium Universitatis *Vien. de Cultu XXIV. Seniorum* in *Styria* superiore invalescente ad quendam ibi Archidiaconum, sed forte fortuna jam *Vol. I.* illud relatum est; hic enim non nisi mucidae laciniae superant.

## DXXXIX.

U. 109 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 284. 4. currente calamo, non ab uno exaratus, et olim, ut anterior theca testatur, legatus ducali Collegio *Vien.* a *M. Leonardo de balstat* Theol. Baccal. formato continet Lecturam prolixam in *Petri Lombardi Librum II. Sententiarum* hoc initio: *Creationem rerum insinuat scriptura. Liber 2<sup>us</sup> in quo determinat Magister de rerum creatione et earum ornatu &c.*

II. fol. 217. Prolusio in Lecturam *Cantici Canticor.* hoc initio: *Secundum eximie facultatis theologice consuetudinem &c.* Thema est: *Eruclabo abscondita a constitutione mundi. Matth. 13. 35.*

Vocat Autor *Cantica Librum secundum cursu sui.*

III. fol. 223. Lectura ipsa hoc initio: *Salomon pacificus et amabilis domini mores in parabolis corrigit &c.* Haec e galeato *Hieronymi* Prologo aliquibus codicibus *biblie* proponi afferit Noster.

IV. fol. 259. Prolusiones III. in Lecturam II. III. et IV. *Libri Sententiarum*, quarum idem Thema jam citatum: *Eruclabo abscondita &c.* ut noris, omnia ab eodem calamo profluxisse. In I. nullos *Cathedrae Collegas*, in II. *Georium de Valsee* et *Georium de Giengen* nominat, quibus in III. *Conradum de Nurnberga* addit. Nullibi aut nomen Autoris, aut nota temporis adest, non magna sane iactura, cum et media foliorum facies per totum Codicem humore multum evanuerit.

## DXL.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1122 XIV. Folior. 143. 4. per duas columnas nitide, multis tamen scribendi compendiis, exaratus, rubricis distinctus et quondam *M. Andree*, quem *Andream de Weytra* Theologum nostrum habeo, dein Collegii S. J. *Vienn.* Commentaria in *Librum III. Sententiarum Petri Lombardi* completitur sine Autoris nomine, quae sic inchoant: *Cum uenit plenitudo temporis misit deus filium suum — In hiis uerbis opus reparationis mundi que per christum est facta describitur de quo opere liber iste tercius sententiarum contexitur.*

repa.